

num scientiam metiri solent hodie ex sola illius cum vita vel similitudine vel cognatione & ipsam eruditionem ponere in uno propemodum rerum naturalium studio, quod cum maxime viget.

Et vero, in hac tanta multorumque studiis celebrata scholæ & vitæ similitudine, erit quisquam, qui litterariam in Scholis & Gymnasiis doctrinam nolit esse popularem? qui eam privet illa laude, qua maxime voluit commendari? qui denique scholarum magistros cum discipulis suis detrudat in latinitatem, nescio quam, aut græcitatem tanquam in pistrinum quoddam?

— — Sed non is vultus in illis,
Non ea nobilitas animo est, ea gratia formæ,
Ut poenam mereant servili scelere dignam.

Nec sane timendum est, ne forte denuo revocetur in scholas tristis illa doctrinæ sterilitas & pauperies, cum agelli scholastici semel efflorescere coeperunt & redundare ex hac communi vitæ humanæ ubertate. Læta enim sunt omnia, nec defunt illa popularis elegantix ornamenta omnium usu & sermone celebrata. Quæ qui hic viderit, non in alium quendam terrarum orbem se delatum putet, sed admissum ad jucundum aliquod spectaculum, quod referat vitæ imaginem. Quod fortasse in his scholis non ita comparatum esse arbitrati sunt, aut comparari posse non sperarunt illi populares, qui, patrum & nostra memoria de vitæ & scholæ dissimilitudine & de litterariæ doctrinæ insolentia questi, secessionem facere maluerunt & novas rerum suarum sedes sibi quære, quam in paterno avitoque domicilio salubre tentare copulati utriusque generis temperamentum, quod jam satis commode vel sponte factum est vel quæsitum consilio & industria.

Sed hoc quidem, quoniam res ipsa loquitur, facile nunc omnes fere nobis concedunt ac fatentur, in scholis passim tradi juvenibus, una cum antiquis illis litteris, plura ex his artibus & disciplinis, quæ quodammodo pertineant ad communis vitæ usum, quibusque adeo vel ipsi litterati hodie plane carere non possint; ipsas autem foederis ac iuitæ societatis leges, omninoque rei modum temperationemque vituperant, propterea quod neutri parti satisfiat. Sive enim in eorum gratiam, qui se penitus dare velint litteris, ratio habeatur subtilioris doctrinæ, etiamsi alterum illud populare disciplinarum genus non negligatur plane, id ipsum tamen mancum esse aiunt & mutilum, quod multa relinquat inchoata & imperfecta & satis afferat ad excitandum, ad fatiandum parum; sive magister potius inserviat illorum commodis, qui, relictis scholarum subselliis, alia omnia acturi sint, fore, ut altera pars defraudetur suo iure & consequatur solidioris eruditionis jactura. Quare, cum hæc doctrinæ lit-